

caloris si infiniti ponerentur in quodam subjecto, ibi daretur infinitas qualitatis nempe caloris. Hasce infiniti acceptiones cum aliis quoque tradit *Rodericus de Arriagâ ita in discursu Philos. Disp. phys. XIII. Sect. I. n. 1. differens: Infinitum aliud est in multitudine, quod includit infinitas unitates, quæ numerari successivè nunquam possunt, ita ut finiantur, aliud in magnitudine, ut si infinitæ partes materiæ inter se unirentur, facerent materiam infinitam in magnitudine: aliud in intentione sc. qualitatis, ut si in eodem subjecto infiniti gradus caloris ponerentur. Hosce jam recensitos modos vocat infinitos tantùm secundùm quid, sic in eodem loco & textu pergens: Hæc tria infinita solum sunt in aliquo genere & secundùm quid, quia in alio genere habent finem &c.*

Th. V. Sumitur etiam infinitum vel privativè vel negativè: Privativè sumptum dicitur id, quod ratione naturæ suæ finire aptum est natum, actu tamen vel nunquam vel difficulter finitur. Sive ut alii eodem tamen sensu describunt, (ex quibus est *Job. Henricus Alstedius Theol. naturali parte I. c. VII. sub Theor. II.*) quod finem quidem non habet. (scil. actu) sed tamen per naturam habere potuit, vel etiamnum potest. Hoc verò nempe infinitum negativè sumptum est id, quod nec actu finitur unquam, nec ratione naturæ finire aptum est.

Th. VI. Deinceps est etiam apud Scholasticos recepta & usitata infiniti distinctio, quâ distinguunt inter Infinitum Categorematicum & Syncategorematicum. Et *Rodericus de Arriagâ, Discursu Phil. disp. XIII. Phys. Sect. I. in fine p. 366.* hæc distinctionis hujus membra explicat, sic scribens: *Infinitum aliud est Categorematicum, quod propriè in se actu includit infinitas partes: aliud est Infinitum Syncategorematicum, quod licet in se infinitum est, quia tamen ei possunt addi plures atque plures partes in infinitum. Dicitur Syncategorematicum non à se, sed à partibus, quæ possunt addi in infinitum.* Eodem modo, licet aliis quibusdam verbis hanc distinctionem exprimit *Comptonus Carleton. Phil. universâ disp. phys. XLVI. Sect. I. n. IV. nec non Franciscus Bone Spei Phys. Parte I. Tract. III. in ceteros libb. phys. disp. 1. dub. 1. Resol. 2. n. IV.* Cujus verò momenti sit hæc distinctio, & annon cum supra etiam ab ipsis traditâ distinctione infiniti in magnitudine vel multitudine coin-